

www.e-rara.ch

Antonini Liberalis Transformationum congeries

Antoninus

Basileae, 1568

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-153>

Antonini Liberalis transformationum congeries

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

9
ANTONINI LIBE-
ralis Transformationum
congeries.

GVILIELMO XYLANDRO

Augustano interprete.



TESYLLA Iulide ^{I. Ctesylla.}

Cei insulæ vrbe nata
fuit, filia Alcidamantis.
Hanc cum Hermocha-
res Atheniensis choreã
agere vidisset Pythijs
ad aram Apollinis Car-
thææ, (vrbs ea est insulæ eiusdem) amo-
re eius est correptus. Itaq; in malum in-
scripsit iuramentum, quo per Dianam
iuraret virgo, se Hermochari Atheniensi
nupturã: id malum abiecit in fanũ Dia-
næ, sublatumq; id Ctesylla legit, lectoq;
iuramento, præ pudore abiecit, neque
æquiore tulit animo quàm Cydippe ab
Acontio decepta. Cæterum Hermo-
chari petenti nuptias pactus est Alcida-
mas, laurumq; tangens Apollinem iu-
rauit. Exaucto autem Pythiorum tempo-
a 5 re, obli-

re, oblitus iuramenti, filiã alteri despondit. Cum autem Ctesylla rem sacram faceret in fano Dianę, repulsę impatiens Hermochares eodem irrupit: & eo conspecto, Ctesylla diuino impulsu amorę eius concepit: req; cum nutrice composita, noctu clam patre Athenas nauigauit, nuptięq; cum Hermochare sunt perfectę. In partu autem Ctesylla aduersa vsa valetudine, decessit, dei voluntate, propter patris periurium. Cuius cadauer cum ad sepulturam efferretur, colũba ẽ sandapila euolauit, corpusq; mortuę nusquã apparuit. Consulenti porro oraculum Hermochari, respõdit deus, vt apud Iulitas templum poneret, sacrũ Veneri Ctesyllę. Ceis etiam oraculum datum est: hiq; etiamnum Veneri sacrificant, Ctesyllam eam appellantes, alij Ctesyllam Hecaergam.

II. *Meleagrides.*

Oeneus Porthעי F. Martis N. regnauit Calydone. ex Althęa Thestij filia tulit filios, Meleagram, Pherea, Agelaum, Toxeum, Clymenum, & Periphantem: filias Gorgem, Curimedam, Deianiram, Melanippam. Is cum primitias frugum pro regione dijs offerret, oblitus fuit Dianę. quę irata, aprum immisit, qui & terram

terram vastauit, & mulros interfecit. I-
 circo Meleager & Thestij filij virtute
 præstantissimos è Græcia conduxerunt,
 apri eius occidendi gratia. qui cùm con-
 uenissent, & aprum necassent, Meleager
 carnes eius distribuit, caput autem &
 pellem sibi eximia præmij loco serua-
 uit. Diana autem, ira ob cædem sacri apri
 aucta, rixam inter eos excitauit. Etenim
 Thestij filij ac reliqui Curetes pellem at-
 trectauère, dimidium præmiorum ad se
 pertinere dicentes: sed Meleager vi ea
 ademit, ac filios Thestij occidit. Hac oc-
 casione bellum inter Curetes & Caly-
 donios ortum est: ad quod Meleager
 non exijt, iratus ob diras quibus ipsum
 mater propter fratrum necem deuoue-
 rat. Cum autem Curetes iam essent vr-
 bem capturi, vxor Cleopatra ei persua-
 sit, vt Calydonios tueretur. Egressus au-
 tem contra Curetas, perijt: cremata à
 matre face, quam ei Parcæ dederant. nã
 hoc fatum Maleagro dederant, vt tan-
 diu uiueret, quàm diu fax ista duraret.
 Reliqui etiam Oenei filij in pugna mor-
 tem oppetierunt: maximusq; apud Ca-
 lydonios luctus Meleagri causa extitit.
 Sorores autem ad sepulcrum eius absq;
 vlla

vlla intermissione fleuerunt, donec eas Diana virga tactas in aues mutauit, & in Lerum insulã deportauit, imposito Meleagridum nomine. atq; eæ etiamnum certo anni tempore dicuntur Meleagrũ lugere. Duæ autem de filiabus Althææ, Gorgo & Deianira feruntur formam non mutasse, beneficio Bacchi, cui eam gratiam Diana fecerit.

Hec et præcedens narratio ex tertio libro Nicandri de mutationibus, seu alterationibus formarum desumptæ sunt. Quæ sequitur, Bœci est, libro de Auium ortu, siue Ornithogonia.

III. *Hierax.* Fuit apud Mariandynos Hierax, vir iustus, & illustris. is tẽpla Cereri posuit, primosq; ex ea fructus percepit. At postquam Teucris tempore legitimo sacra Neptuno non persoluerunt, sed ea prænegligentia omiserunt, indignatus Neptunus fruges eorum perdidit, ingentemq; à mari cetum ipsis immisit. Teucris cum ceto simul & fami ferendo non essent, ad Hieracem miserunt, qui auxilium aduersus famem ab eo poscerent. isq; cum triticum, tum alia misit alimenta. Irritatus eo factò Neptunus, ob suos ab eo honores diminutos, in auẽ ipsum con-

conuertit, quæ nunc Græcis Hierax, Accipiter Latinis dicitur. Mores quoque eius pristinos prorsus immutauit: eum enim qui hominibus fuerat charissimus, volucribus inuisissimum reddidit, & qui ab interitu multos homines vindicauerat, fecit vt is plurimas necaret aues.

Dryopis filius Cragaleus, in terra III. Cra-
 Dryopide habitabat, ad lauacra Hercu- galeus.
 lis, quæ ferunt Herculem claua percus-
 sis montis tabulis aperuisse. Erat is Cra-
 galeus iam prouecta ætate, habebaturq;
 à popularibus iustus ac prudēs. Ad eum
 boues pascentem accedūt Apollo, Dia-
 na, & Hercules, disceptaturi causam de
 Ambracia Epiri. Apollo eam urbem sibi Lis inter
 vindicabat, quia pater esset Melaneï, qui deos de Am-
 Dryopum rex fuisset, belloq; totam E- bracia.
 pirum cepisset: ac procreasset Eurytum
 & Ambraciam, à qua vrbi Ambraciæ no-
 men sit factum: sed & à se maxima in
 urbem profecta esse beneficia. Suo enim
 iussu Sisyphi posteros aduenisse, & bel-
 lum quod Ambraciotis erat contra Epi-
 rotas, confecisse. Torgum quoq; Cypse-
 li fratrem, suis motum oraculis, coloniã
 à Corintho Ambraciam deduxisse. Tum
 Ambra-

Ambraciotas ipsius ductos oraculis, cōtra Phalæcū, qui tyrannidē eam in urbē arripuisset, insurrexisse: ex eaq; occasione multos fuisse à Phalæco interfectos. in summa se in ea vrbe sæpe bellū ciuile, rixas, & seditionē sedasse, & horū loco ius iusticiamq; & leges introduxisse: atq; ob id hodieq; se ab Ambraciotis in festiuitatibus & publicis conuiujs seruatorē Pythiū cārari. Diana verò litigare cū Apolline desinens, petebat vt vltro sibi Ambraciā concederet, quā hac ducta occasione sibi deposceret. Quo tempore Phalæcus eam tyrannide premebat, metusq; omnes ab eius cæde detinebat, se venāti tyranno catulū leonis exhibuisse: quē cum is in manus sumsisset, lænam matrē è fylua erupisse, & in Phalæcū impetu dato, pectus eius dilaniasse. ideo Ambraciotas seruitutis excusso iugo, Dianā principem placasse: venatricisq; Dianæ simulacro factō, ferā ei apposuisse. At Hercules cūm Ambraciam, tum vniuersam Epirum ad se pertinere ostēdebat. Nam Celtas, Chaonas, Thesprotos, & vniuersos Epirotas bello, quod intulissent, à se subactos, quo tēpore cōiunctis virib. sibi boues Geryonis adimere

mere essent aggressi. Aliquanto pòst colonos à Corintho venisse, qui pulsìs Ambraciæ ciuibus urbē denuò tenuerint. at qui omnes Corinthios esse ab Hercule ortos. His auditis Cragaleus urbem Herculi adiudicauit. Apollo autem iratus, manu eū corripuit, inq; saxū mutauit, eo quo steterat loco. Ambracioræ autē sacrificāt quidem Appollini seruatori: urbem tamē Herculis esse, eiusq; liberorū statuerunt. & post festū Herculis, in hūc vsq; diē Cragaleo exta immolāt. Narrat Nicáder primo Alteratorū libro, & Athanadas in Ambracicis.

Aegyptius (vt est apud Bœū libro de A- V. *Aegyptios.*
 uiū ortu primo) Anthei F. Nomionis N. in extremis Thessaliæ habitauit finibus: charus fuit, et dijs ob pietatē & hominib. magnanimitatis iustitięq; causa. Is cū vidisset Timandrā, amore eius captus est: cūq; viduā esse intellexisset, pecunia data impetrauit, vt ipsi ad se domum ventitanti corporis sui potestatē faceret. Aegre id ferens Neophron Timádræ filius, Aegyptij æqualis: infidiasq; ei struens, multis donis Bulidem Aegyptij matrem eò pellexit, vt cum ea domum suam deducta rem haberet. Horā deinde maturē
 cogno-

cognoscens, qua ad Timandrā erat Aegyptius vēturus, suam matrem quacunq; occasione domo emisit, inq; eius locum matrem Aegyptij introduxit, se ad eam rediturum simulans: itaq; ambobus imposuit. Aegyptius nihil eorum quę Neophron machinatus fuerat supputans, cū matre corpus miscuit, quam esse Timādrā putabat. Eum somno iam captū Bulis agnouit, arreptoq; gladio, oculos filio eruere, & seipsam necare statuit. Apollinis interim volūrate somno Aegyptius soluitur: intellectisq; Neophronis insidijs, in cœlum sublatis oculis, optauit omnia secum aboleri. Iupiter porrò eos in volucres mutauit, factiq; sunt Aegyptius & Neophron ægyptij (id est, vultures) cognomines, minor tamen corpore Neophron. Bulis in mergū abiit, eiq; Iupiter alimentum tale destinavit, vt nihil terra editum edat, sed tantum oculis piscium, auium, aut serpentum vescatur, quia filio Aegyptio oculos erat ademtura. Timandra in parū (siquidem is est Græcorum ægithallus) est mutata: neq; vnquam eodem loco hæ aues visæ sunt.

VI. *Periphas.* Terrigena fuit in Attica Periphas, natus

tus antequam terræ filius Cecrops existeret. Is regnū in priscos homines obtinuit, fuitq; iustus, diues, ac pius: & tēpla plurima condidit Apollini, plurimasq; dijudicauit controuersias. neq; eum vllus hominum culpauit, sed omnibus volentibus electus fuit: atq; ob excellentiam factorum eius, honores Ioui debitos homines ad Periphantem transtulerunt, eiq; templa & delubra posuerunt, Iouisq; Seruatoris, Inspectoris, & Benigni nomine coluerunt. Itaq; Iupiter succensens, statuit totam eius domum fulmine comburere. Apolline autem deprecante extremam familiæ eius perniciem, à quo nimirum ipse coleretur: Iupiter Apollini hoc dans, in domum Periphantis venit, eumq; cum vxore versantem offendens, vtraq; manu pressum in aquilam commutauit: vxoremq; eius orantem vt se quoq; in auem Periphantis consuetudine vtentem verteret, phanam, id est fulicam fecit. Periphanti porrò ob pietatem qua inter homines præstiterat, hoc honoris tribuit, vt rex omnium auium esset, sacriq; custos fulminis, & ad suum adiret solium. vxori autem Periphantis, vt auis ea ad

b omnes

omnes actiones hominibus secunda appareret. *Indidem.*

VII. *Anthus.*

Antonous Melanei F. ex Hippodamia filios nactus est, Erodium, Anthum, Schœneum, Acanthum: & filiam Acanthidem, quam forma pulcherrimam dii fecerunt. Habuit is Antonous equorum armenta plurima, eaq; pascebantur ab Hippodomia vxore & filijs eius. Ceterum Antonoo plurimum agri possidenti nullus cum fructus perciperetur, ob culturæ neglectum, sed iuncos ei solum, spinasq; ferret: inde nomina filijs Acantho & Schœneo, filiæq; Acanthidi imposuit: maximumq; natu Erodium appellauit, quòd ipsum destituisset terra. Is Erodus armentorum equorù studiosissimus, ea pastum in pratum compulerat. vnde cum ea Anthus expulisset, equæ à pabulo exclusæ in furorem versæ sunt: nactæq; Anthum deuorarunt, multa deos opem flagitantem. Et pater quidē Antonous præ dolore attonitus, equas abigere cunctatus est, itemq; adolescentis famulus. mater verò cum equabus depugnans ob corporis imbecillitatem pestem filio depellere non potuit. Cum autem hoc modo extinctum Anthum

thum deflerent, Iupiter & Apollo misericordia ducti, vniuersos in aues mutauerunt: Autonoum in ocnum, quod pater ad ferendū filio auxilium segnis fuisset: matrem in corydum, quod se aduersus equas armasset, pro filio propugnās: ipsum autem Anthum, erodium: Schœneum, Acanthum, & Acanthyllida in aues pristinis suis nominibus insignes: famulum Anthi comitem itidem in erodium, sed pello longè minorem. atq; hic erodius nuspiam antho adsidet, neque anthus ephippa, quod ab equis pessimè fuisset tractatus. atq; etiamnum anthus equi vocem audiens fugit, simul eam imitans. *Indidem.*

In imo Parnasi versus meridiem mōs VIII. Lamia, siue Sybaris. est (vt quarto Alteratorum libro Nican-
der narrat) Cirphis, ponè Crissam, inq; eo etiamnum antrum prægrande, in quo fera degebat olim ingens & monstrosæ magnitudinis adeò, quàm alij Lamiam, alij Sybarin nominabant. Ea fera singulis diebus in agros grassabatur, pecus hominesq; rapiens. Iamq; Delphi de mutantis sedibus cogitabant, & oraculum consulebāt de loco in quem migrarent. Tum Deus, malo eos isto liberatum iri

pronunciauit, si manentes vellent ad antrum exponere puerum vnum de ciuium filijs. ipsi madata peragebant. Sorte ad hoc ductus est Alcyoneus, Dionij & Meganiræ F. quem vnum pater genuerat, & vultu & indole præditus eleganti. eum coronis redimitum, sacerdotes ad Sybaridis speluncam abduxerunt. At verò genij cuiusdã impulsu Eurybatus Euphemi F. ab Axio fluuio genus trahens, generoso animo iuuenis, à Curetide proficiscens, in Alcyoneum, cum is ad antrum duceretur, incidit: & amore eius correptus, scitatus causam viæ, indignum facinus se facturum putauit, si puerum ita miserè interfici sine-ret, neque ei pro viribus suis opitularetur. Itaq; Alcyoneo detractas coronas, suo imposuit capiti, seq; eius loco duci iussit. adductusq; ad antrum à sacerdotibus, irrupit, Sybarinq; è lecto vi abreptã in lucem protulit, ac de saxis præcipitem egit. ea capite ad imos Crissæ processus alliso, eo è vulnere decessit. Cæterũ isto è faxo fons erupit: qui ab incolis Sybaris dicitur. Inde etiam Locri vrbé Sybarim condiderunt in Italia.

IX. *Emathides.* Iupiter (vt ibidem refertur) in Pieria
con

cōgressus cū Mnemosyna, Musas genuit. Regnabat eo tēpore in Emathia Pierius indigena, eiq; nouem erant filiaë, quæ chorum suum Musis opposuerunt: certamenq; Musicum est in Helicone commissum. Quando autem filiaë Pieri canebant, omnia caligine obscurabantur, nihilq; ad choream obtemperabat. At Musarum cantu sistebatur cœlum, astra, mare, flumina: & Helico voluptate delinirus, ad cœlum vsq; crescebat: donec eum consilio Neptuni Pegasus inhibuit, verticem pede percutiens. Quoniam autem certamen iniuerant mortales, cum deabus, Musæ eas in aues transformarunt, numero nouem: quæ etiamnum inter homines nominantur, Colymbas, Iynx, Cenchris, Cissa, Chloris, Acaláthis, Nefsa, Pipo, Draçontis.

X. *Minyades.*

Minyas Orchomeni F. habuit filias, Leucippam, Arsippam, & Alcatheam. Hæ operum nimio studio arserunt, plurimumq; alias mulieres repræhenderūt, quòd vrbe relicta in montibus eæ bacchantur. Tandē Bacchus puellæ sumpta forma, eas hortatus est, ne sacra & mysteria Dei desererent. cumq; animum nō aduerterent, indignè ferens Bacchus, è

b 3 puella

puella in taurum, leonem, & pardalim
 est mutatus: fluxitq; ei ex * nectar &
 lac. His prodigijs territe, paulo post for-
 tes in urnam coniectas concusserunt: e-
 xijtq; fors Leucippæ. Ea vouit Deo sa-
 crificium, suumq; filium Hippasum ad-
 iuuantibus sororibus dilaniavit. Inde pa-
 terna domo deserta, in montibus bac-
 chatae sunt, pastæq; hederam, smilacem,
 & laurum: donec eas Mercurius virga
 tactas, in volucres cōuertit, vespertilio-
 nem, vlulam, & byzam. & hæ tres fugiūt
 radios Solis.

Ibidem hoc narratur, & à Corinna.

XI. *Aëdon, seu
 Luscinia.*

Pandareus (vt est apud Bœum in Or-
 nithogonia) in agro Ephesio habitauit,
 quo loco nunc iuxta urbem est Prion.
 Huic Ceres id largita est beneficij, vt vē-
 ter eius cibus nunquam grauaretur, quā-
 rumcunq; ingessisset. Fuit Pandareo fi-
 lia Aëdon: eam duxit Polytechnus fa-
 ber, Colophone Lydiae habitans: pluri-
 mumq; temporis suauiter vnà vixerunt,
 vnico filio procreato, cui nomen Irys.
 Fuerunt autem felices, quandiu deos
 debito affecere honore. At postquam
 inani voce gloriati sunt, magis se inui-
 cem amare, quàm Iupiter & Iuno se mu-
 tud

tuò diligant: Iuno offensa eo dicto, Eri-
dem ad eos misit, quæ contentionem o-
perum iniiceret ipsis. Paululum restabat
Polytechno ad curulem sellam conficiē-
dam, & Aëdoni ad pertexendam telam.
itaq; hanc spõsionē coëunt, vt vter ipso-
rum celerius suum opus absoluisset, ei
alter famulam daret. Citiùs telam per-
texuit Aëdon, Iunone opus adiuuante.
Cui inuidens victoriam Polytechnus, ad
foceram proficiscitur, simulans se ab v-
xore missum ad adducendam secum so-
rorem Chelidonem: & Pandareus ni-
hil mali suspicatus, filiam Chelidonem
ei committit. Ei Polytechnus in sylua
virginitatem eripit: tonsoq; capite, alijs
eam vestibus induit: mortemq; minatus,
si quid horum vnquam Aëdoni indicas-
set, ita domum reuersus: eam vxori lo-
co ancillæ, ex pacto tradit. Aliquan-
diu eam soror operis exigendis attriuit,
donec Chelidonis cum vrna ad fontem
prolixè suam deplorans calamitatem,
à sorore exaudita est. Postquam se mu-
tuò agnouerunt, & consalutauerunt,
malum ilico Polytechno sunt machi-
natæ. Filium eius in frustra concide-
runt, carnes in ollam cõiectas coxerunt:

cumq; Aëdon vicino suo mandasset, vt
 Polytechnū eas iuberet edere, ipsa cum
 sorore ad patrem Pandareum peruenit,
 indicauitq; in quas deuenisset miserias.
 Polytechnus cognito, se de filij sui carni-
 bus epulatos fuisse, eas ad patrem vs-
 que insecutus est. At famuli Panda-
 rei eum, quòd tantum familiæ Panda-
 rei probrum intulisset, correptum inso-
 lubili vinculo constrinxere: corpusq;
 melle inunctū, in pascuum proiecerūt,
 vbi cum muscæ adfidentes eum diuexa-
 rent, Aëdon ob pristinam miserata ami-
 citiā, eas abigebat. Quod cum depræ-
 hendissent parentes & frater, odio con-
 citati eam statuerunt interficere. Sed Iu-
 piter Pandareum miseratus, antequam
 in domum eius grauiora inciderent ma-
 la, eos omnes personas in aues conuer-
 tit: quæ partim ad mare vsq; prouola-
 runt, partim in aërem subuolarunt. Pan-
 dareus mutatus est in haliaëtum, mater
 Aëdonis in Alcyonē: statimq; se in ma-
 re voluerunt deijcere, sed Iupiter id pro-
 hibuit. atq; hæ aues nauigantibus sunt
 secundæ. Polytechnus in pelecantem
 transijt, quòd ei Vulcanus fabricanti
 securim dedisset. atq; ea auis fabris visa
 fausta

fausta est. Frater Aëdonis vpupa extitit, quæ auis terra mariq; est auspicata: idq; magis si coniungitur haliaëto, aut alcyoni. Aëdon, quæ est luscinia, circum fluuios & nemora filium Ityn deplorat. Chelidonis hirundo facta est, hominum contubernalis, Dianæ consilio: quod inuita virginitatem amittens, plurimum inuocasset Dianam.

Nicander libro Alteratorum tertio, & Arcus Laco in carmine cui Cygnus nomen est, id narrant quod sequitur.

Apollini è Thyria Amphinomi filia XII. *Cygnus.*
 natus est Cygnus, facie formosa, moribus inelegantibus & agrestibus, nimio studio venationibus deditus. habitabat ruri inter Pleuronem & Calydonem. Multos habuit ob pulcritudinem amatores: quorum cum præ superbia admitteret neminè: mox omnibus inuisus, ab ijsq; est desertus, solo Phyllo apud ipsum perseuerante. quanquam hunc quoq; non mediocribus affecit contumelijs. Extiterat sub id tempus apud Aetolos ingès leo, qui & in ipsos & in pecus grassabatur. hūc Cygnus iussit Phylum sine ferro interficere. idq; is in se recepit, leonemq; tali necauit astu. Cum sciret qua

hora leo esset superuenturus, ventrem
 impleuit multo cibo ac vino. cumq; bel-
 lua appropinquaret, ea euomit. quæ leo
 famelicus deuorans, vini vi è stupido
 sopore obrutus. & Phylus brachio, cui
 vestem suam circumuoluerat, in os infer-
 to leonem suffocauit: sublatumq; in hu-
 meros, ad Cygnum attulit. nomenq; ap-
 pud homines illustre eo facinore sibi pa-
 rauit. Sed Cygnus alium adhuc diffi-
 ciliorem ei laborem iniunxit. Erant ea
 in regione vultures monstrosæ magni-
 tudinis, qui multos homines interficie-
 bant. hos eum viuos capere, & ad se per-
 ducere quauis ratione iussit. Dubitante
 Phyllo quomodo hoc mandatum con-
 ficeret, diuinitus euenit, vt aquila raptū
 leporem, semianimemq; eodem deijce-
 ret, non perlatum ad nidum. Phylus di-
 repto lepore, sanguine eius se impleuit,
 & humi procubuit. itaque vultures ad
 eum vt mortuum deuolarūt: quorum il-
 le duos pedibus arreptos tenuit, atq; ad
 Cygnum pertulit. Tertiū ei hic, prio-
 ribus adhuc magis arduum, imposuit la-
 borem: taurum ab armento iubens ma-
 nu abducere ad aram Iouis. Phylus cum
 perficiendæ huius rei rationem nullam
 inue-

Inueniret, Herculis auxilium implora-
 uit. Voto facto, duo ei tauri apparuerūt,
 qui propter vaccam, quam vterq; arde-
 bat, pugnantes cornibus se mutuò in
 terram prosternebant. cumq; elanguis-
 sent, Phylis alterum pede correptum
 ad aram vsq; attraxit. Voluntate autem
 Hercules * negligere man- *
 data pueri. Accidit hoc grauissimum Cy-
 gno, quòd se, quòd minimè opinatus e-
 rat fore, contemptum videret. itaq; præ-
 mœrore animi seipsum abiecit in Co-
 nopam lacum, videriq; inter homines
 desijt. Eodemq; etiam se Thyria ma-
 ter, filij mortem non ferens, præcipita-
 uit: amboq; in aues mutati sunt in lacu,
 Apollinis nutu. Ab ijs quoq; lacus Cy-
 gnea appellata est: ac tempore arationis
 multi ibi visuntur olores. Propè extat e-
 tiam Phylis monumentum.

Meliteus, Ioue & nympa Othreide XIII. Aſſalin.
 natus est. eũ mater, Iunonis metu, quòd
 cum Ioue concubuiſſet, in ſyluam expo-
 ſuit. Puer Iouis voluntate ſeruatus, & ab
 apibus nutritus, adoleuit. In eum oues
 paſcens incidit Phagrus, frater eius vte-
 rinus, Apollinis F. miratusq; molè cor-
 poris, magisq; etiam apum facinus, ſecũ
 eum

eum domum transtulit, magnoq; studio
 educavit : imposito Melitei nomine,
 quòd esset ab apibus nutritus. Venit ei
 etiam oraculi in mentem, quo illū Deus
 aliquando salutem fratri ab apibus nu-
 trito allaturum monuerat. Puer simul-
 atq; virilem attigit ætatem, præclare se
 gessit, plurimisq; vicinorum præfuit : &
 in Phœtia urbem Melitam condidit. Ex-
 titit ea in vrbe tyrannus violentus atque
 contumeliosus, cuius adeò nomen inco-
 læ non edunt : peregrini Tartarum ap-
 pellabant. is, si qua eius loci virgo ob
 formæ pulcritudinem celebraretur, vi
 eam ante nuptias abductam vitiabat.
 Atq; eo tum tempore ministros iusserat
 adducere sibi Aspalidem, Argæi non i-
 gnobilis viri filiam. quæ rei fama diuul-
 gata, ante aduentum eorum quibus ab-
 ducendi sui negocium erat datū, seipsam
 suspendit. Facto adhuc latente frater puel-
 læ Astygites iurat, priusquam sororis cor-
 pus deponeret, se in tyrannum vindica-
 turum. illico vestem Aspalidis induit,
 gladioq; ad sinistrum latus abdito, quòd
 adolescens etiamnum esset, nemine sexū
 è vultu agnoscente, in domum tyranni
 peruenit, eumq; nudum incustoditumq;
 inter-

interficit. Melitenses Aftygitem corona decorant, Pæanasq; accinendo deducunt, cadauer tyranni in flumen demergunt, quod ab eo vsq; tempore hodieq; Tartarum vocant. Corpus autem Aspalidis ad honestam sepulturâ summo studio requirentes, nusquam inuenire potuerunt, quòd id Deus de medio sustulisset. Loco autem corporis statua iuxta Dianæ stans apparuit: idq; simulacrum incolæ Aspalidem vocant, Ameiletam, & Hecaergam: & quotannis virgines hædum intactum in eius honorem, præcipitem dabant, quod & Aspalis virgo seipsam suspendisset.

Narratio est Nicædri, libro Mutatorũ secundo.

Molossorũ rex fuit Munichus Dryãtis F. vates egregius, idemq; vir iustus. Is è Lelanta filios habuit, Alcádrum, qui vaticinio patri præstabat: Megalerorem, Philæum, filiamq; Hyperippam. Eos omnes ob probitatẽ dij dilexerunt. Quadam nocte eos latrones subitò in agris circumuenerunt. cumq; pugnæ impares de turribus se defenderent, ignemq; latrones domibus iniicerent: Iupiter habita eorũ pietatis ratione, miserrima morte perire non est passus, sed in aues transfmutauit.

XIII. Munichus.

mutauit. Et Hyperippa quidem, quoniã ignem fugiens, aquam subiit, facta est fulica. cæteri ex igne euolarunt, Munchus buteo, Alcãder orchilus factus. Megaletor & Philæus, quod ignem fugientes per parietẽ ad terrã se demississent, in exiguas auiculas abierũt: hic in eã quæ canis dicitur, ille in ichneumonem: mater in piponem, quæ culices muliones legit. Cum hac bellũ est aquilæ & erodio, quorum oua confringit, dum quercum cædit propter culices. Viuuntq; vnã reliqui in syluis & latebris, fulica ad lacus & mare obuersante.

ꝫ V. Meropis.

Liberos habuit Eumelus Meropis F. superbos & iniuriosos. Byssa, Meropis, & Agron ij erant: habitabantq; Coninsulam Meropidem. Iis terra plurimos edebat fructus: quia hanc solam deorum venerabantur, solumq; diligenter colebant. His nulli erãt cum hominibus cõgressus, neq; vel in urbem intrabant, vel solennes epulas & festos Dijs dies obibant. Nam siue puellæ ad rem Mineruæ sacram faciendam inuitarentur, frater recusabat, gratas cæsivæ deæ sorores suas nigris præditas oculis negans, sibiq; inuisam omnino esse vlulam auem aiens: siue

siue ad Dianæ sacrificiū vocarentur, deā se odisse dicebat noctambulam: siue ad Mercurij libationes, furem deum à se non honorari dicebat. Cum nullum maledicendi finem facerent, irati Mercurius, Minerua & Diana, ad eorum ædes peruenerunt, hæ virginum forma, ille pastoris habitum ferens, Eumelum & Agronem compellans ad conuiuium inuitabat, quòd ipse cum cæteris pastoribus Mercurio rem sacrā fecisset: simulq; hortabatur, vt Byssam & Meropidem in lucum Mineruæ & Dianæ ad æquales mitterent. Cum his auditis Meropidis nomen Mineruæ afficeret contumelia, in auiculam vlulam ab ea mutatur. Byssa nomen suum retinuit, facta Leucotheæ auis. Agron audita re, veru arrepto accurrat: eum Mercurius transformat in charadriam (siue is Latinis est rupex) Eumelum quoq; ob mutatum filium sibi conuicium facientem, in coruum nocturnū seu cicumam conuertit, auem malorum nunciam.

Ex Bœi, de Auium ortu, libro primo.

Apud Pygmæos puella fuit Oenoë, for
ma non contemnenda, cæterum moribus inuenustis & superbis: & quæ nihil
neq;

XVI. Oenoë.

neq; Dianam neq; Iunonē curaret. Nupta Nicodamanti, mediocri & probocui, filium peperit Mopsū: ob cuius naturales Pygmæi vniuersi, beneuolentię ergò, plurimis eam donis affecerunt. Sed Iuno Oenoæ infensa, quæ nullo honore ipsam dignaretur, in gruem eam mutauit, collumq; in longum protraxit, altiuolantemq; auem fecit: interq; eam & Pygmæos bellum excitauit. Oenoë autem desiderio filij Mopsi, absq; intermissione domos circumuolitauit, quam Pygmæi omnes armis sumtis profligarunt. Atq; ab eo tempore in hunc usque diem, inter Pygmæos & grues bellum est.

Ex eiusdem autoris & operis libro secundo. Quę sequitur narratio, Nicandri est, de libro Mutatorum altero.

XVII. *Leucippus.*

Filia Eurytij Spartonis Galatea, Phęsti nupsit Lápro Pádionis F. viro natalibus nō obscuris, sed inopi. Is cū vxor grauida esset, voto masculam sibi prolem expectens, edixit mulieri, si filiam peperisset, vti ne eam tolleret: simul ad oues pascēdas digressus: Galatea filiam partu edidit. & miserta infantis, solitudinemq; familię reputans, infomnijs adstipulantibus, & ariolis pro filio eam educare iubentibus,

bentibus, Lamprum decepit, filium se e-
 nixam professa: puellamq; nomine Leu-
 cippi affectam, tanquam filius si esset, e-
 nutrijt. Cum adoleuisset puella, & ines-
 fabili esset pulcritudine, metuens sibi à
 marito Galatea, cum res diutius regi nō
 posset, in fanum Latonæ confugit: mul-
 tisq; à Dea precibus contendit, si filia in
 marem mutari posset: sicut Cænis Atra-
 cis filia, Neptuni voluntate in Cæneum
 Lapitham abiit: & Tiresias ob interfe-
 ctos in triuio coëuntes angues, de viro
 mulier fuit factus: rursusq; virilem sexū
 adeptus est, quia draconem sæpenume-
 rò * Panastem autem & Hyperme-
 stram venditam pro muliere inuenisse
 precium: cum autem in virum esset mu-
 tata, alimēta Aethoni patri attulisse. Cre-
 tensē quoq; Siproetam mutatum, cum
 inter venandum lauāntem vidisset Mi-
 neruam. Latona continenter lamen-
 tantem & deprecantem miserata est Ga-
 lateam, puellamq; in puerum mutauit.
 Huius mutationis etiānum Phæstij me-
 minerunt, Latonæq; Phytiaē sacrificant,
 quòd virilia puellæ creauerit: festumq;
 Ecdysia appellant, quòd peplum puel-
 la exuerit. Lex quoq; fert, vt in nuptijs

XVIII. *Aëropum.*

prius accumbant ad Leucippi statuant.
 Habitauit Thebis (quæ est Bœotia
 vrbs) Eumelus Eugnoti F. filiusq; fuit
 ei, Botres nomine. Pater magno opere
 Apollinem colebat. Quodam tempore
 Botres, cum ei sacris operanti adesset,
 cerebrum comedit, priusquam hostia es-
 set aræ imposita. Id cum sensisset pater,
 per iram titionem ab ara raptum, capiti
 pueri impegit: qui sanguine defluente
 collapsus palpitauit. Mater & pater atq;
 famuli re conspecta, maximum sustule-
 runt luctum. Sed Apollo patris, à quo in
 honore haberetur, misertus, puerum in
 auem aëropum mutauit: quæ cum etiã
 num in terra pariat, semper tandem vo-
 latum molitur.

XIX. *Fures.*

In Creta fertur esse antrum apibus fa-
 crum, in quo fabulantur Iouem à Rhea
 editũ partu: & vel deum, vel hominem
 quenquam præterire, est religio. Certo
 autem cuiusq; anni tempore plurimus
 cernitur ex antro effulgens ignis. fieriq;
 id fabulantur tum, cum sanguis de Iouis
 partu efferuescit. Obtinent speluncam
 eam sacrae apes, Iouis nutrices. Hoc
 antrum intrare ausi sunt Laius, Celeus,
 & Cerberus, & Aegolius, quamplurimũ
 mellis

mellis exhauriendi causa: & corporibus vndiq; ære obtectis, mel apum hauserunt, Iouisq; viderunt cunabula. Tum & æs circa eorum ruptum est corpora: & Iupiter intonuit, fulmenq; intedit. sed cum Parcæ ac fas inhibuerunt, quod Fas non esset eo loco quenquam mori. Ergo Iupiter eos omnes in auium naturam transtulit: ab ijsq; sunt genera auium, quæ Iaij, colæoi (id est graculi) cerberi, & ægoliij vocantur. suntq; boni auspicii: & præ alijs rebus quod prædicunt perficiunt, eò quòd Iouis sanguinè viderunt.

Hæc, & præcedens narratio, Bœi est, ex eo quem proximè citauimus libro. Ibidem refertur, quòd & Simmias Rhodius Apolline commemorat. Apud Babylonem Mesopotamiæ urbem habitauit Cleinis, vir dijs charus, ac opulentus: boum, asinorum, ouiumque diues. Hunc mirum in modum dilexerunt Apollo ac Diana: ac sæpe cù istis dijs venit ad templum Apollinis, quod est apud Hyperboreos, viditq; ei asinos immolari. Reuersus Babylonem, intendit ipsæ quoq; Hyperborico ritu Apollini sacrificare: asinorumq; magno numero victimas ad aram constituit. Superuenit
 c 2 Apollo,

Apollo, mortemq; se ei illaturum minatus est, nisi hoc abstineret sacrificio: & pro more capras sibi, boues, ouesq; offerret. ita enim se asinorum gaudere immolatione, si ea fiat in Hyperboreis. His minis territus Cleinis, asinos ab altari abduxit: liberisq; suis auditum sermonem exposuit. Erant ei ex Harpa vxore filij tres, Lycius, Ortygius, & Harpasus, ac filia Artemicha. Proinde Lycius & Harpasus perficere sacra ista, ijsq; se oblectare iubebant: Ortygius & Artemiche, quorum sententiæ etiam Cleinis ad stipulabatur, obediendum Deo pronunciabant. Sed Harpasus & Lycius vi solutis asinorum vinculis, eos ad aram compulerunt. Ibi Apollo in rabiem egit asinos, ita vt Cleinin & liberos famulosq; mordicè perdere aggrederentur. Ii in extremo constituti periculo, Deorum fidem implo-rant. Atq; Harpam quidem & Harpasum Neptunus miseratus, in aues non mutatis nominibus conuertit. Latona autem & Diana statuerunt seruare Cleinin, Artemicham, & Ortygium, quod piaculi istius infantes essent. Suis Apollo hanc gratiam dedit, vt hos, antequam morerentur, in aues commutaret. Cleinis factus

est

est Hypsiætos, quod aquilã altiuolantẽ significat, nomen auis post aquilã summã, difficilis internosci: cum hæc interfetrix hinnulorũ sit fusco corpore, magna ac valida: aquila autem nigrior ac minor. Lycius in coruũ album abijt: deinde tamen Apollinis nuru factus est ceruleus, cùm primus de Coronide Phlegyæ filia iudicium detulisset, eam Alcyoneo esse nuptam. Artemiche piphinx facta est, auis Dijs hominibusq; grata. Ortygius ægithallus, quod patri persuasisset pro asinis capras Apollini immolare.

Ex eodẽ Bœi libro etiã hoc depróptũ ^{XXI. Polyphonte.} est. Thrafsã Martis, & Terduę, quæ Strymone nata fuit, filiã, Hipponus Triballi F. duxit. Eo ex coniugio nata est filia, nomine Polyphonte. Hæc re Venerea ignominiosẽ spreta, in montem se contulit, & consuetudine ludi ac studiorum Dianæ sociam se præbuit. Venus contemtu suarum rerum incitata, insanum illi vrsi amorem immisit: ita vt furore diuino percita, cum illo corpus miscuerit. Diana illo conspecto facinore, Polyphonten immenso est profecuta odio, omnesq; in eam conuertit feras. Itaque metuens ne ab his dilaniaretur, in patris

domum se recepit: duosq; filios peperit, Agrium & Oreium (Agrestem, & Montanum dices) maximos, & ingenti præditos robore. Hi & deorum & hominum contemtores erant: & si in peregrinum aliquem inciderent, eum domū suam abductum deuorabant. Igitur ijs infensus Iupiter, Mercurium mittit, vt suo arbitrato in eos animaduerneret. Qui cum pedibus eos & manibus truncare cogitaret, Mars, quando ad ipsum Polyphonte genus suum referebat, ei istos supplicio exemit: & adiuuante Mercurio, eos, homines cū essent, in aues cōuertit. Polyphōte in Stygem mutata est, auem noctu canentem, cibi potusq; exsortem, caput deorsum, pedes imos sursum habentem, belli & seditionis hominibus nūciam: Oreius in leporem, semper mali ominis auem: Agrius in vulturē, quæ omnium auium est dijs hominibusq; inuisissima: eiq; perpetuū sanguinis carnisq; humanæ indiderunt desiderium. Ancillam eorum fecerūt ipnā: eaq; naturam mutans, deos comprecata est, ne mala hominibus auis fieret. idq; impetrauit à Mercurio & Marte, cū coacta quod domini mādassent executā fuisset.

fuiſſet. Eſt auis bona euntibus ad venatum, aut conuiuium.

Eufeiro, Neptuni & Eidotheæ nym- xxxii. Terābus.
phæ Othreidis F. Terambus fuit filius,
in Melienſium terra domicilium habēs,
ad montis Othris radices. Is pecus, quod
ei obtigerat copioſiſſimum, ipſe paſce-
bat, adiuuantibus nymphis, quod eas in
montibus canendo oblectabat. Ferrur
enim ſuę ætatis hominibus arte Muſica
antecelluiſſe, qui & bucolicis carmini-
bus famam reperifſet, & paſtorales ex
arundinibus fiſtulam in montibus com-
poſuiſſet, lyraq; primus hominum vſus
eſſet, & plurimas elegantifſimasq; can-
tilenas compoſuiſſet. Eam ob rem aiunt
apparuiſſe aliquando ei nymphas, & ad
içtus pollicis Terambici faltaſſe. Pana ve-
rò beneuolentia adductū, monuiſſe ho-
minem, vt Othry relicto, greges in cam-
po paſceret: inuſitarum enim & incre-
dibile frigus inſtare. At Terambus, qui
iam inde à puero iactantia ea fuiſſet, vt à
Deo ſana priuatus ratione iudicari poſ-
ſet, greges ab Othry in planiciem depel-
lere in animum nequaquā induxit: nym-
phas autem ingrato ac fatuo ſermone eſt
inſectatus, non eſſe eas Iouis genus, ſed

Dinasperchij natas dicens: & Neptunū
 desiderio vnus de fororibus, Diopatræ
 nimirū impulsū, reliquas radicib. ter-
 ræ affixisse, inq; Alnos mutasse, dum eas
 cōcubitus satur dimiserit, pristinaeq; na-
 turæ restituerit. Hoc fuit Terābi in nym-
 phas conuicium. Paruo pōst tempore
 subitò gelu incidit, quo valles sunt ad-
 strictæ, copiosaq; nix decidit, & oues Te-
 rambi vnà cum vijs ac arboribus perie-
 runt. Nymphæ autem eum, iratæ ob ma-
 ledictum, mutauerunt in cerambicem,
 quæ est auis ligniuora, conspiciturq; in
 lignis, curuis dētibus, malas semper mo-
 uens, nigra, oblonga, solidis alis, adsimi-
 lis magnorum Cantharorū. vocatur bos
 ligniuorus, & apud Thessalos cerābix.
 Hunc pueri pro ludo habēt, caputq; am-
 putantes circumferunt: quod simul cū
 alis similitudinē gerit lyre è testudine cō-
 fectę. Ex Nicādri libro de Immutatis.

XXIII. Battus.

Autores eius quā subijcimus narratio-
 nis sunt, præter eum quē iam nominauim-
 us librū, Hesiodus in magnis Ecceis siue
 Oriētalibus, Didymarchus libro Meta-
 morphoseon tertio, Antigonus Altera-
 tionibus, & Apollonius Rhodius in E-
 pigrāmatis, vt Páphilus libro primo ait.

Argus

Argus Phrixi F. & Permiele Admeto nata, filium habebat Magnetē nomine, qui vicinam Thessaliæ regionem incoluit: eam, cui ab eo Magnesiæ nomen homines fecerunt. Filius ei fuit Hymenæus, excellenti forma. Hunc cum Apollo canentem audiuiſſet, amoreq; eius correptus à domo Magnetis non discederet: Mercurius armento bouum Apollinis, quod iuxta boues Admeti pascebat, infidias rendit. Ac primùm quidē canibus armēta ea custodientibus, veternum anginamq; immittit: eæ oblitæ bouum, custodiæq; sunt. Buculas ita Mercurius abigit duodecim, & boues iugi ignaros centum, taurumq; armenti virum. caudis singulorum aliquid syluestris materie appendit, ad delenda bouum vestigia. agitq; armētum per Pelasgos, Achaiam, Phthiotidem, Locridem, Bœotiam, Megarensem agrū, indeq; in Peloponnesum per Corinthum & Larissam, Tegeā vsq; inde secundum Lycæum & Mænalum montes profectus cum ijs est, & speculā Batti. Habitabat is Battus in summo scopuli. cumq; iuuenorum qui præteragebantur vocem exaudiſſet, domo egressus, sensit eos esse furtiuos: pactusq;

*

est mercede silentium, de ijs reticendū. eam Mercurius iurato se nemini de his quicquam relaturum Batto stipulatur. Mercurius cum eas in spelūcam Prionis ad Coryphasium abdidisset compulsas, quæ est eregionè Siciliae & Italiae: ad Battum mutata forma reuertitur, periculum facturum, an is iuramentum esset seruaturus. data ergo mercedis loco chlæna, percōtatur, an ne furtiuas boues præteragi vidisset? Ibi Battus chlæna accepta indicium facit de bobus. Mercurius bilinguem eum esse indignè ferens, adacto baculo in saxum commutat, quod & frigori & æstui omni est obnoxium. Locus adhuc hodie ab ijs qui trāseunt, Batti appellatur specula.

XXIII. *Ascalaphus.*

De eiusdē Nicādri Operis quarto libro, etiā hoc desumimus. Quo tēpore filiā quærēs Ceres vniuersam obiuit terrā, cōquieuit in Attica. eamq; magno æstro languētē Mismā excipit: potūq; offert, in quo pulegium & farina aquæ erant permixta. quem cū ob sitim Ceres confertim ebibisset, filius Mismæ Ascalabus in risum se conuertit: eiq; denuò lobetem profundū, aut dolium afferri iussit. Ceres irata, quod reliquum potionis erat,

erat, ei infudit. isq; mutata natura in variegatam corpus bestiam ascalaphum abijt, dijs hominibusq; exosam. degit iuxta cloacas: & gratam Cereri ré præstat, qui eum interficit.

Indidè, & è Corinnè primo de Altera-
 zis. Orion Hyriei F. in Bœotia, filias XXV. Metiocha
& Menippa. habuit Metiocham & Menippam. Hæ, quo tempore patrem Diana ex hominibus sustulit, apud matrem educabantur. Minerua porrò texédi artem eas docuit, Venus pulchritudine donauit. Cùm autem totam Aoniam inuasisset pestis, multiq; exanimarètur: missi sunt qui Apollinis Gortynij oraculum consulèrent. Iis præcepit Deus, vt duos Eriunios deos demulceant: ac iram deùm placatum iri, si duę virgines ijs immolarentur. In ciuitate nulla virginum se ad satisfacièdum oraculo obtulit, donec ancilla id Orionis filiabus exposuit, ad telam sedentes. Eæ oraculo cognito, sponte sua pro omnibus mortem oppetere, priusquam popularis lues ipsas interficeret, delegerunt. Propterea cùm manes ter inuocassent, professæ se ipsis vltro offerre victimæ loco, radio clauiculas percusserunt, ruptoq; iugulo in terram corruerunt. At
 Pro-

Proserpina & Pluto miserati, virginum corpora è medio abstulerunt, & eorum loco stellas de terra excitarunt, quæ cum apparuissent, in cælum euaserunt, eosq; Cometas appellât. Cæterùm apud Orchomenum Bœotix urbem omnes Aones illustre his virginibus templum dedicarunt, ijsq; quotannis pueri & puellæ sacra placandi causa offerunt dona: atq; etiamnum ab Aeolensibus eæ Coronides virgines nominantur.

XXVI. *Hylas.*

Ab eo ipso Nicædri libro. Hercules cū Argonautis, à quib. erat dux creatus, nauigans, vnà secum duxit Hylam Ceycis F. adolescētē pulchrum. Vt ad fauces Ponti peruenerunt, & Arganthonē procurfus præteruecti sunt, tempestate & fluctibus coortis, anchoras iecere, nauemq; inhibuerunt. Præbuit rum heroibus Hercules cœnam: puerq; Hylas cum vrna ad Ascanium amnem iuit, aquam ijs allatum. Quem vt viderunt nymphæ, eius fluuij filiæ, amore correptæ, hauriētem in fontem deiecerunt. Cum ad hunc modum è medio sublatus Hylas frustra expectaretur, Hercules relictis heroibus vndiquaq; syluam perlustrat, sæpius inuocato Hyla. Nymphæ autem metuen-

tes,

tes, ne apud se absconditum Hylam inueniret Hercules, puerum illum in Echo commutarunt: itaq; sæpe clamanti Herculi, vocem reddidit. Hercules cum diu multumq; quæsitum Hylam inuenire nequiret, ad nauim redijt, & cum heroibus abiit: Polyphemo ibi loci relicto, si quæ is ei posset Hylam indagando reperire. Sed Polyphemus morte est præuentus. Incolæ autem in hunc vsq; diē Hylæ sacrificant iuxta fontem: eumq; nominatim sacerdos ter vocat, cui Echo ter respondet.

Ibidē & hæc narratio habetur. Thesei XXVII. Iphigenia.
& Helenę, Ioue natę, filia fuit Iphigenia, his.
eamq; soror Helenæ Clytæmnestra, Agamemnoni dicens, se eam peperisse. nā Helena fratribus auscultans, virginem se à Theseo discessisse aiebat. Cum exercitus Græcorum Aulide, nauigationis opportunitate destituēte, detinerētur: significarunt vates, nauigationem expeditum iri, si Iphigenia Dianæ immoletur. Dedit eam Agamemnō pro victima, rogatu Achiuorum. Ad altare adductam principes non sunt intuiti, sed aliō quouis oculos auerterunt. Diana autem loco Iphigeniæ iuencum ad aram statuit,

tuit, ipsa longissimè à Græcia in Euxinũ translata pontum, ad Thoantem Borysthenis F. nomenq; ei gēti fecit Tauros, quia loco Iphigeniæ ad aram apparuisset taurus. ipsam autem * tēpore venisset, transtulit Iphigeniam in Leucen ad Achillem: mutataq; natura, eam senectē mortisq; expertem diuam fecit, nomine in Oreilochiam conuerso: fuitq; vxor Achillis.

XXVIII. Typhon.

Ex eodē libro duas quoq; insequētes narrationes petiuimus. Terrę filius fuit Typhō, genius immēso robore, mōstrofa forma. nam & capita plurima ei nata sunt, & manus, & alæ, & ex femoribus maxima serpentum volumina. omnis generis voces edebat: neq; eius vires quisquam subsistebat. Is Typhon imperiũ Iouis affectauit: impetumq; facientem nemo deorum substitit, sed omnes in Aegyptum fugam fecerunt, solis Minerua & Ioue relictis. Typho euestigiò deos est secutus: verũ illi calliditate vsi, effugerunt, habitu in bestias mutato: Apollo in accipitrem, Mercurius in Ibin, Mars in squamatum piscem, Diana in silurũ, Bacchus in caprum, Hercules in hinnulum, Mulciber in bouem, Latona in mu-

rem

rēm araneum : alij , vt visum fuit, in alia.
 Vbi Typhonem Iupiter fulmine percu-
 lit, ardens Typhon in mare se ipsum ab-
 didit, flammamq; extinxit. Iupiter autē
 non dimisit eum : sed montium maxi-
 mum Aetnam ei iniecit, inq; extrema-
 ribus custodem ei Vulcanum apposuit:
 isq; impositis in ceruices Typhonis in-
 cudibus : ferreas cudit massas.

Thebis Prætus filiam habuit Galin-
 thiadem, ludi & vitę sodalitate iunctam
 virginem Alcumenæ, filiæ Electrionis.
 Cum parturiret Alcmena Herculé, Par-
 cæ & Lucina in gratiam Iunonis eam in
 doloribus detinuerunt, manibus suis
 constrictis sedentes. Ibi Galinthias veri-
 ta ne ex doloribus moreretur Alcmena,
 ad Parcas & Lucinam accurrit, nuncios
 Iouis volūtate puerum ab Alcmena par-
 tu editum, actumq; esse de ipsarum ho-
 noribus. Ad hoc obstupuerunt Parcæ,
 statimq; manus dimiserunt. Illicò etiam
 Alcmena soluta doloribus, Herculem est
 enixa. Ad hoc Parcæ luctum instituerūt:
 & Galinthiadi, quòd mortalis deas de-
 cepisset, virginitatem ademerunt, inq;
 fraudulentā mutauerunt selem, vitamq;
 in penetralibus attribuerunt, scædumq;
 coitum,

XXIX. Galin-
 thias.

coitum, nam per aures concipit, & è collo eructatū foetum edit. Hāc vultus mutationem miserata Hecate, sacram sibi eā ministram constituit. Hercules quoque adultus, memor beneficij, iuxta ædem ei facellum collocavit, remq; sacram fecit. quæ etiamnum obseruant Thebani: & ante ferias Herculis, primæ Galinthiadi sacrificant.

xxx. *Biblis.*

In Creta (vt est eiusdē Operis libro secundo traditum) Miletus ex Apollinis & Acacallidis (quæ Minois erat filia) congressu est natus. eum mater Minois metu in syluam exposuit: vbi eum lupi accedentes iussu Apollinis custodiuerunt, ac per vices lactauerunt. Deinde bubulci superueniētes sustulerūt, ac domi suæ enutriuerunt. Puer vt adoleuit, pulcher strenuusq; euasit: Minosq; desiderio impulsus eum violare intendit. ibi rum Miletus noctu conscēso Lēbo, consulente Sarpedone, in Cariam profugit: vrbeq; ibi Mileto condita, Eidotheā Euryti Carum regis filiam in matrimoniū ducit: natiq; sunt ei gemini liberi, Caurus & Biblis, vnde etiamnum sunt Caurus & Biblis Cariæ vrbes. Biblidē multi incolarum ambiuerunt, & qui in circum-

cumiacentibus vrbibus magni essent nominis. Quibus illa facile spretis, infando amore Caunum deperire cepit. qui morbus, quandiu eum ipsa occultare potuit, fefellit parētes. Cum verò in dies magis vrgeret malus genius, noctu statuit se ipsam de saxo præcipitem dare: ac ad proximum digressa montem, adorta est sese præcipitare. Nymphæ autem misertæ eã detinuerunt: multoq; incusso somno, de mortali immortalem redegerunt, Bibli- dem nympham Hamadryadem nominantes: inq; suum sodalicium & contubernium adsciuerunt. Liquor qui è saxo illo destillat, in hunc vsq; diem ab incolis appellatur lacruma Biblidis.

Referam eodem ex libro aliud. Lycaon, is qui non aliunde migrasse, sed eo ipso quem incoleret loco editus ferebatur (quos Græci Autochthonas nominant) filios habuit, Iapygem, Daunium, & Peucetium. Hi collecta hominũ multitudine, ad Italię Adriam venerunt: pulsifq; Ausonibus, qui tum ibi habitabant, ipsi sedes posuerunt. Maior pars exercitus eorum constiterat ex aduenis, Illyricis atq; Messapijs. Itaq; cum & exercitũ & agrum in tres diuisissent partes, eisq;

d de

xxxl. Messa-
pij.

de nominibus ducum nomina fecissent Dauniorum, Peucetiorum, & Messapiorum: quod à Tarento erat regionis vsq; ad extrema Italiae, Messapijs obtigit, in qua conditum est Brúdulium: quod autem iuxta * intra Tarentum, Peucetijs. interius his mare nauigabát Daunij. Toram autem gentem vocarunt Iapyges. Gesta hæc sunt multo ante Herculis expeditionem tempore. Viuebatur ea ætate pecoribus & pascuis. Fabulantur ergo, in Messapiorum terra, ad locum cui Sacra saxa nomen, apparuisse nymphas Epimelidas, choros ducentes. pueros autem Messapiorum, relictis gregibus cū spectassent choreas, dixisse, ipsos melius callere rationem choros ducendi. Fuit is sermo Nymphis molestus, certatumq; de præstantia choreas ducendi inter partes aliquandiu: cum quidem pueri sibi cum diuis esse certamen ignorarēt, & se cum æqualibus mortalibus feminis cōtendere opinarentur. Erat puerorum saltandi modus rusticus, vtpote pastorum: at Nymphis omnia ad elegantiam subinde accreuerunt. Victisq; pueris, ita eos compellauerūt: Prouocastis, pueri, Nymphas Epimelides: Ergo væcordes, victi dabitis

dabitur pœnas. pueriq; eo quo constiterant loco, ad Nympharum fanum, in arbores sunt mutati: hodieq; exauditur vox noctu ex sylua, veluti eiulantium. Loco nomen est Nympharû & puerorû.

De libro primo eiusdem. Dryops xxxii. Dryops Sperchij fluuij F. ex Polydora, vna Danaï filiarum, regnum obtinuit in Oeta: vnicamq; habuit filiam Dryopen, quæ patris greges pascebat. Sed cû eam summo opere amarent Hamadryades nymphæ, suorumq; locorum sociam adsciuisent, docuissentq; carminibus deos celebrare, & choros ducere: Apollo ea visa, concubitus cum ea ardor ipsum incessit. Itaq; primùm se in testudinem cõuertit: quam cum, vt rem ludicrã, Dryope Nymphæq; tractarent, Dryope eam etiam in sinum conderet, de testudine Apollo in anguem trãsiit: itaq; eam Nymphæ territæ deseruerûnt, Apollo cû Dryopa rem habet. Ea autem metus plena in domum patris confugit, nihilq; parentibus ea de re indicauit. Põst cum eam Andræmon Oxyli F. duxisset, puerum ex Apolline conceptum parit, Amphisum. Hic cû virilem ætatem attigisset, omnibus præualuit: urbẽq; ad Oetã cõdidit,

didit, monti isti cognominem, ibiq; regnavit. Posuit & Apollini in Dryopide regione templum: in quod cum se contulisset Dryope, Hamadryades benevolentia impulsæ eam rapuerunt, & in sylva occultarunt, loco eius aluo excitata, ac ponè aluum fonte. At Dryope, naturæ mutatione de mortali facta est nympha. Amphissus, pro meritis Nympharû in matrem, templum ipsis condidit, primusq; cursus certamen confecit: quod incolæ hoc quoq; nostro tempore curât. Mulierem eò accedere nefas est, quòd Dryopen à Nymphis sublatam duæ virgines incolis indicarunt: quas indignatione motæ Nymphæ, in abietes mutarunt.

XXXIII. *Alcmena.*
na.

Ex Pherecyde. Herculis posteros, ipso è mortalibus sublato, patria expulit, ac sibi regnum sumsit. Illi ad Demophontem Thesei F. profugi, habitauerunt in tetrapoli Atticæ. Eurystheus misso Athenas legato, bellum denunciat Atheniensibus, ni Heraclidas expellant: neq; ij bellum detrectant. Ergo Eurystheus in Atticam copias adducit, commissioq; prælio inter pugnandum occidit: fusaq; est Argiuorum multitudo. Hyllus, & alij
Hera-

Heraclidæ cum ipso, post mortem Eury-
sthei, Thebas urbem incolūt. Interim &
Alcmena annis confecta, obit. Quam cū
efferrēt Heraclidæ, (ij ad Electras portas
habitabant, vbi & Hercules, in foro) Iu-
piter Mercuriū mittit, mādato vt Alcme-
nam suffuretur: eamq; in beatas insulas
allatam, Rhadamanto det vxorem. Paret
iussis Mercurius: & loco Alcmenæ,
quam furtim abstulerat, lapidem feretro
inijcit. Heraclidæ cum sandapilam ge-
stantes mole grauarentur, depositam a-
periunt, & pro Alcmena lapidem inue-
niunt, quem inde exemtum in luco con-
stituerunt, vbi sacellum Alcmenæ est
Thebis.

Smyrna, filia fuit Theiantis, Beli F. & XXXIII. Smyr
Orithyæ nymphæ: nata in Libano Smyr na.
na. Hanc ob pulcritudinem formæ plu-
rimi, & ex urbibus plurimis ambiuerūt.
Illa multis artibus vſa est ad deludēdam
parentum voluntatem, & extrahendum
tempus. etenim diro amore patrem de-
peribat: quem cum præ verecundiā ali-
quandiu dissimulasset, victa tādē Hip-
polytæ nutrici rem aperit. Hęc pollicita
remedium se malo inusitato inuenturā,
Theianti significat, puellam esse parentū

fortunatorum filiam, quæ in ipsius cubile clanculū venire cupiat. Theias (quippe insidiarum ignarus, sibi structurarū) approbata re, domi suæ in lectum se in tenebris composuit: nutrix Smyrnam veste occultatam ei adduxit. Ad aliquod tempus latuit hoc tam fœdum & impiū facinus, interimq; Smyrna vterum ferre cepit. At Theiantē cupido incessit cognoscendi quæ'nam ea esset, quæ ex ipso concepisset: itaq; in domo ignem abdit. cumq; ad eum venisset Smyrna, subitò igne allato agnita, abortum fecit: sublatiſq; manibus oprauit, vt neq; viuus neq; mortuis interesse sibi daretur. Iupiter eā in arborem cōuertit cognominē. Huius arboris fructum, quotannis ferunt lacrymas emittere. Theias, ob incestū sibi ipsi manus attulit. Puer Iouis nutu educatus est, eiq; Adonis nomen factum, ob formæ elegantiam à Venere plurimū adamato.

XXXV. *Bulci.*

Latona, cum in Asteria insula Apollinem & Dianam peperisset, in Lyciā venit, infantes ad lauacra Xāthi apportās. Cumq; primū eam regionem attigisset, in Meliten fontem incidit: statuitq; ibi abluere infantes, antequam ad Xanthum

thum pertigisset. Sed pulsa inde à pastoribus, qui eò potù boues egissent, discessit. Lupi autem obuiam facti, & adulescentes deæ, vsq; ad amnem Xanthum ductores se viæ præbuerunt. Eius aquam cum bibisset Latona, infantesq; abluisset, Xanthum Apollini consecrat: terræ autem, quæ tum Trimilis appellabatur, Lyciæ nomen fecit, à lupis, qui viâ præiuerant. Rursum deinde ad fontem peruenit, supplicium de pastoribus sumtura, qui adhuc bobus lauadis ibi vacabāt. Eos dea vniuersos in ranas conuertit: tergisq; & humeris aspero lapide percussit, in fontem coniecit, victumq; in aquis attribuit. ijq; etiamnum apud amnes & paludes vociferatur. Narratio est Menecratis Xanthij in Lyciacis, & Nicandri.

Iouem, quo tempore eum metu Saturni ^{xxxvi. Pandæcos.} Rea in specum Cretensem abdidit, præbita mamma Aex (capram vox sonat) nymp̄ha aluit: eamq; Reæ iussu canis aureus custodiuit. Iupiter postquam, Titanibus pulsus Saturno regnum ademit, Aegem immortalitate donauit, & eius imago extat in astris: aureum autem canem templi Cretensis custodiæ præfecit. Hunc suffuratus Pandareus Me-

ropis F. in Sipylum abduxit, custodiendumq; dedit Tātalo Iouis & Plutūs F. Cum autem aliquanto pòst tempore Pādareus in Sipylum venisset, canemq; reposeret: Tantalus depositum eiuravit. Pandareum ergo Iupiter, propter furtū, in saxum, eo ipso quo stabat loco mutavit: Tantalum, ob periurium, de Sipylo in caput præcipitem dedit.

XXXVII. Dorienses.

Diomedes, à capta Troia cum venisset Argos, Aegialea vxore ob adulterium repræhensa, Calydonem Aetoliæ urbem abit. ibi interfecto cū liberis Agrio, a suo Oeneo regnum reddit. Rursum inde Argos nauigans, tempestate in Ionium mare eijcitur. Eò allatum agnoscens Dauniorū rex Daunius, orat vt sibi bellum in Messapios gerenti, socium se præbeat: promissa in matrimonium filia, & conditionis parte. Accipit conditionē Diomedes. cumq; prælio fuis Messapijs agrum esset cōsecutus, Doriensibus eum, quos secum habebat, diuidit. ipse ex filia Daunij, filios duos procreat, Diomedem & Amphinomum. senectute consumptum, vitaq; functum Diomedem apud Daunios, in insula tumulant Dorienses: & ab eo Diomedea nomināt. Proinde

de agros à rege ipsis datos colunt, & (q, essent rusticorum operum periti) plurimum ex ijs fructuum percipiunt. Mortuo Daunio, Illyrij barbari Doriensibus, quibus terram istam inuiderent, insidias struunt: inq; insula sacris operantes vniuersos subito adorti, trucidant. Eorum corpora Iouis nutu nuspian visa sunt, animæ in aues abierunt. Atq; etiam hodie cum Græca nauis appellit, aues eæ accedunt: Illyricam autem fugiunt, vniuersæq; ex insula abeunt.

Aeaco, Iouis & Aeginæ F. quæ filia A-fopi fuit, filij fuerunt Telamon & Peleus: & præter hos Phocus, ex Psamathe Nerei filia. Hunc ob virtutem pater maiorem in modum dilexit: fratres autem inuidia moti, clam eum necant: ideoque pulsi à patre, Aeginam relinquunt. Habitauit exinde Telamon Salaminâ insulam. Peleus ad Eurytionem Iri F. se confert, eiq; supplex fit, & cædis causa expiatur. Huc Peleus postmodò in venatione, aprum ferire dũ intendit, imprudens interficit: profugusque ad Acastum peruenit. is eũ (quod vxor Peleũ, à quo frustra concubitus expetierat, ad maritum de sollicitata sua pudicitia accusasset) in Pelio

XXXVIII. Lu-
pus.

monte solum destituit. Peleus oberrans ad Cheironem venit centaurum: ab eoq; supplex impetrat, vt in antrum recipiatur. Inde multis ouibus & bobus collectis, ad Irum pergit, eaq; cædis nomine pro mulcta offert. Cùm recusaret Irus: Peleus ea, oraculo monitus, custodis vacua dimittit. Ibi lupus ea inuadit, atque deuorat. isque lupus diuino iussu in saxū mutatur, quod diutissimè permāsit inter Locridem & Phocidem. Narrat hoc Nicander primo Alteratorum.

XXXIX. Arceophon. Arcinoë.

Hermesianax Leontio II. refert: Arceophontem Minnyridæ F. Salamine Cypri vrbe natum fuisse, parentibus obscuris, quippe Phœnicibus: sed pecunia & alijs rebus quib. beati putatur homines, plurimū alios excellentē. Eū visa Nicocreontis Salaminiorū regis filia, amore eius correptum, eo magis nuptias expetisse, q̄ Nicoreon à Teucro genus duceret, eo qui Agamemnoni in Ilio expugnando affuit: itaq; nuptialium munerum pollicitatione alios omnes procos superasse. Ceterū Nicocreontem abnuisse, vt qui Punicum Arceophōtis genus sibi dederet. Huic matrimonio negato, amore magis etiā fuisse molestum: noctuq;

noctuq; ad Arfinoës eum domum itasse,
 & ibi cum æqualibus pernoctasse. Cum
 autem res non succederet, nutrici suæ
 persuasisse, perque eam puellam multis
 donis missis ad parētib. ignoratum con-
 cubitum sollicitasse, puellam ea de paren-
 tes reddidisse certiores. Eos, summam
 linguam, nasum, & digitos nutrici præ-
 cidisse: fœdeq; & immisericorditer tra-
 ctatam, domo eiecisse. Deo id facinus
 displicuisse. Arceophontem verò præ ni-
 mio dolore desperatis rebus inedia vitā
 abrupisse: ciues mortem eius luxisse, mi-
 seratione motos. Tertia die à propin-
 quis funus in publicum productum, &
 iusta apparasse. Arfinoën verò superba li-
 bidine incitatam, de domo spectasse vt
 corpus Arceophontis cremaretur. Vene-
 rem indignitate rei commotam, pedes
 eius solo defixisse, ipsamq; in saxū con-
 uertisse.

Carme, filia fuit Phœnicis, Agenoris ^{XL. Britomar-}
 F. & Calsiepiæ, Arabij filiæ. Cum hac ^{tis.}
 Carma Iupiter congressus, Britomartim
 genuit: quæ hominum fugiens consue-
 tudinem, perpetuam virginitatem am-
 plexa, primùm ex Phœnicia Argos deue-
 nit ad Erasini filias, Byzem, Melitā, Mœ-
 ram,

ram, & Anchiroam. Deinde Argis in Cephallemiam profecta, estq; ab incolis nominata Laphria, sacrisq; numinis instar honorata. Venit inde in Cretam: visamq; Minos, cum amore eius captus esset, infecutus est. Ea ad piscatores confugit, ab ijsq; subter retia occultata est. vnde Cretenfes eam Dictynnā (nam dicty rete significat) nuncuparunt, & sacris sunt venerati. Euitato Minoë, Britomartis cum Andromede piscatore nauigio Aeginam venit. Cumq; piscator eam comprimere conaretur, relicto nauigio, in lucum confugit, vbi nunc eius fanum est, ibiq; è medio est sublata: & nomen ei Aphæa posuerunt, in fano Dianæ. Locū, vbi oculis hominum subtracta est, Aeginetæ consecrarunt, Aphaamq; dixerunt, & tanquam deo sacrificarunt.

XLI. *Vulpes.* Cephalus, Deionis F. Procrin Erechthei filiam in Thorico Atticæ duxit. Erat is Cephalus iuuenis forma atq; fortitudine præclarus. itaq; pulcritudine illecta eum rapuit Aurora, sibiq; maritum adsciuit. Tum igitur Cephalus Procrin tetrauit, an matrimonij fidem seruatura esset. Ficta occasione, venatum se ire simulat, ad Procrin autem mittit seruum ignotum:

ignotum: qui multum auri ferens, hoc ei à peregrino viro quodam, ipsius amore capto, dari ait, si ei corporis sui velit potestatem facere. Principiò Procris recusat: sed cum duplum mitteret, consentit. Cephalus vbi eá domũ ingredi animaduertit, iamq; ad se, quẽ alium putabat, accumbere: facem ardentem infert, facinusq; eius arguit. Procris præ pudore Cephalum deserit, & ad Minoẽm Crætæ regem confugit. Quem cum offendisset multam habere prolem, pollicita est, & ostendit ei modum, serpentes, & scorpiones, & scolopendras, si nascerentur liberi. Minos enim non habebat: & moriebantur mulieres, quibus cum rem habebat. Pasiphaë autem, Solis filia, erat immortalis. Procris ergo ad Minois procreationem tale quippiam machinatur. vesicam caprę in membrum mulieris infert, & Minos serpentes prius excreuerat in vesicam: deinde ad Pasiphaën ingressus, cum ea coijt. Postquam prolem adepti fuerunt, dat Minos Procridi iaculum & canem, quæ nulla fera euitare poterat, sed omnes ijs capiebatur. His sumtis, Procris Thoricum Atticæ venit, vbi Cephalus habitabat, & ei in venatione

ad fuit mutato habitu in virilem, & ton-
 so capillo, ita ut à nemine agnosceretur.
 Cephalus animaduertens se venando ni-
 hil consequi, omnia Procrin, iaculū istud
 accipiendi cupiditate est captus. Pro-
 cris id ei promisit, conditione concubi-
 tus. Cumq; Cephalus conditionem ac-
 cepisset, Procris se prodidit: eiq; expro-
 brauit, quòd multò turpius atq; ipsa pec-
 casset. Atque canem quidem & iaculum
 Cephalus accepit. Amphitruo autem ca-
 nis opera indigens, venit ad Cephalum:
 rogauitq; ut secum ad venandum vul-
 pem proficiscatur, promissa prædæ par-
 te, quam de Telebois esset capturus. Eo
 enim tēpore Cadmeis apparuit vulpes,
 prodigiosum animal, quæ identidem à
 Teumesso irruens, Cadmeorum pueros
 rapiebat: eiq; puer exponebatur trige-
 simo quoque die, quem illa ablatum de-
 uorabat. Cum ergo Amphitruo in Tele-
 boas bellum mouens auxilia Cadmeo-
 rum posceret, non alia conditione pro-
 miserunt, quam si eos in vulpe perdenda
 iuuaret. Id pactus cum Cadmeis Amphi-
 truo, ad Cephalum profectus, pactum ei
 exponit: persuadetq; ut cū cane secum
 eat. Assentitur Cephalus, profectusque
 vulpem

vulpem venatur. In fatis erat, vt neque vulpis capi, neque canem euitare insequentem quicumque posset. Cum ergo iam vulpes canisque in planicie essent Thebana, Iupiter vtrunque in lapidem mutauit.

ANTONINI LIBERALIS METAMORPHOSEON FINIS.